

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Honor i
cum fonte primo

Differentia dignitatis facta est inter sanctos

ut unus sit episcopus, alius minister.

Contumacia carnis coegit,

et peruersitas mundi et operatio inimici.

Honores uidentur esse sed re uera non sunt, immo ministeria.

Crisostomus super Mattheum.

Quod autem in hoc saeculo

differentia dignitatis facta est inter sanctos,

dignitatis dico, non sanctitatis,

ut alter quidem sit apostolus, alter autem episcopus, vel minister, vel laicus:

contumacia carnis coegit,

ut peruersitas mundi, et occulta operatio inimici coerceatur:

quoniam diabolus imperans carni et mundo,

in multam indisciplinationem excitat homines, quamdiu sunt in carne,

et in mundo subdito ei, alios in lasciviam, alios in delicias,

alios in inuidiam, alios in avaritiam, alios in iram et superbiam:

nisi ergo sint quos timeant, solvitur disciplina.

Denique ipsi honores in Christo in prima quidem facie videntur honores,

re uera autem non sunt honores diversi, sed sunt diversa ministeria.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Mattheum*, 35
(PG 56, col.831).